



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Regularium Privilegia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

implere contentus luendi in Purgatorio pœnam temporalem debitam?

Resp. Conveniunt DD. pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam præservativam, & adimplere, ut si ei præcipiatur v. gr. ne ingrediatur domum, in qua est occasio peccandi &c. Sed dividuntur de pœnitentia, ut est satisfactoria pro pœna temporali; aliqui affirmant, sat esse, ut pœnitens velit eam in Purgatorio peragere, hæc tamen sententia communiter à Theologis rejicitur, & à nonnullis contra fidem, temeraria, ac improbabilis reputatur; cum enim ex Tridentino *sess. 14. cap. 8.* Sacerdos potestatem habeat ligandi, non poterit pœnitens ab obligatione implendi pœnitentiam ullatenus se eximere, atque adeo ad illam acceptandam, & implendam (nisi fuerit irrationabilis) tenetur sub mortali; quamvis materiæ parvitas ex communi sententia à gravi obligatione excuset, ut si pœnitentia imposita sit pro solis venialibus, vel si pro solis mortalibus aliàs ritè confessis, aut si omissio sit levis.

R E G U L A R I U M P R I V I L E G I A.

506. **Q**Uæritur. An Regulares possint in foro Conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum?

Resp. Opinionem affirmativam docuerunt nonnulli, quorum sententia, utpote à parte rei falsa, ad praxim nullatenus deduci potest, nam ab Alexandro VII. cum propos. 36. damnata fuit; nec pro foro externo, in quo ex ipsius sequela multum pax læderetur, & inter Episcopos, & Religiosos

fos

fos non minora orirentur litigia, nec pro foro intern, nam si possent Regulares pro foro Conscientiæ absolvere, ver. gr. à reservatis Episcopis, vel sine approbatione, aut alia hujusmodi præstare, nec consuleretur bono publico, nec vitarentur omninò diffensiones inter ipsos; ergo expediens fuit; quod pro foro etiam interno ea Privilegia revocarentur.

507. Quæritur. An ubi Tridentinum non est receptum possint Regulares saltem in foro Conscientiæ uti privilegiis per Tridentinum revocatis?

Resp. Negative, ratio est, quia propositio 36. ab Alex. VII. damnata ubique gentium est scandalosa, ergo nusquam gentium possunt Mendicantes uti Privilegiis per Tridentinum expressè revocatis, atque adeo hæc lege Tridentini revocantis hæc Privilegia obligantur etiam illi, qui Tridentinum non receperunt; tum etiam quia ut Privilegium revocetur, non requiritur consensus privilegiati, licet enim Privilegia non conferantur invitis, ab invitis tamen auferuntur.

508. Quod attinet ad Privilegia solum implicitè per Tridentinum revocata pro it implicitè *sess. 23. c. 8.* Revocatur Privilegium, quod Regulares possint extra tempora ordinari, & similia; Communius docent nec posse iis Mendicantes uti, ne in foro quidem Conscientiæ, ratio est, quia Tridentinum condendo legem in contrarium, illa implicitè revocavit; præterquam quod quamvis ea Privilegia non revocaverit expressè Tridentinum; revocavit tamen expressè Pius IV. Anno 1665. in *Bulla incip. In Principis Apostolorum Sede*, quæ habetur

betur in Calce Concilii, ubi revocant quæcumque Privilegia, quæ Tridentini Decretis contradicunt; Si quæras quænam sint Regularium Privilegia expressè per Tridentinum revocata, in eodem ipsa reperies, videlicet *Sess. 22. & 23. cap. 12. & 15. & Sess. 25. cap. 22*

509. Quæritur. An Privilegia Regularium vivæ vocis oraculo concessa sint revocata?

Resp. Esse; nam Gregorius XV. die 1. Julii 1622. expedivit motum proprium, in quo revocat omnia Privilegia Regularium vivæ vocis oraculo concessa, cum aliquibus limitationibus, scilicet excipiendo à revocatione ea oracula, quæ concessa fuissent ad instantiam Regum, & ea, quæ manu alicujus Cardinalis firmata fuissent. Postea tamen Urbanus VIII. die 20. Decembris Anno 1631. expedivit motum proprium alium, qui incipit: *Alias felicitis Recordationis*; in quo generaliter omnia vivæ vocis oracula revocavit absque ulla limitatione, qui habetur in tom. 4. Bullarii Romani.

510. Quæritur An Mendicantes prætextu Privilegiorum possint absolvere sæculares à casibus Episcopis reservatis, non obtemperata ad id Episcoporum facultate?

Resp. Non posse, nam id prohibetur expresse in Decreto Alexan. VII. damnantis prop. 12. & ante ipsius damnationem erat jam omnibus Regularibus ab Urbano VIII. prohibitum, ne uterentur Privilegio, quo prætendebant posse à reservatis Episcopo absolvere, interdicta quoque fuit talis facultas à Clemente X. in *Constit. quæ incipit: Superna*.

511. Quæritur. An Regulares Privilegiorum prætextu possint absolvere sæculares à Ca-

à Ca-

à Casibus, qui jure communi, vel consuetudine Episcopis reservantur, ut est percussio levis, & occulta Clerici, excommunicatio contra procurantes abortum &c.

Resp. Affirmativè, ratio est, quia Urbanus VIII. in suo Decreto declaravit, non revixisse potestatem absolvendi à reservatis Ordinario loci sublatam Regularibus à S. Congreg. Decretis, constat autem à Decretis antecedentibus S. Congr. solum sublatam fuisse potestatem absolvendi à Casibus, quos sibi Ordinarii locorum reservant, ergo de his tantum loquitur Urbanus, necnon antea, Paulus V. ac demum præfacta propositio damnata: sequitur igitur, quod Regulares possint absolvere à Casibus jure communi, vel consuetudine Episcopis reservatis, sicut etiam possunt absolvere à Casibus Episcopo reservatis in Synodo, si in tabella Casuum Episcopali non adnotentur, quia tunc cessat reservatio, & quia sumus in materia odiosa, quæ debet in meliorem partem explicari.

512. Quæritur. Qua pœna ligentur Regulares, qui prætextu privilegiorum absolvunt à reservatis Episcopis, non obtenta ad id facultate?

Resp. Quod tam Regulares, quàm Sæculares Confessarii, qui absque debita facultate præsumunt à dictis Casibus absolvere, ligantur pœna excommunicationis, privationis officiorum, Dignitatum, aut Beneficiorum, & ad quæcumque officia, Prælaturas, & Beneficia in posterum obtinenda ipso facto inhabilitentur, super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo; potest im-

pertiri, pœna autem imponitur præsumptibus, quod verbum requirit scientiam legis in absolvente.

513. Quæritur. An Confessarii Regulares in vim suorum privilegiorum possint absolvere Sæculares a Casibus Sedi Apostolicæ reservatis?

Resp. Nullibi possunt absolvere, 1. à Casibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ contentis. 2. à Simonia reali contracta in Ordine, Beneficio, & ingressu Religionis, 3. ab omni læsione libertatis, vel immunitatis Ecclesiasticæ. 4. à violatione Interdicti positi à Sancta Sede. 5. à mutilatione, vel occisione Clerici in Sacris constituti. 6. nequeunt absolvere delinquentes contra Constitutiones de electione Romani Pontificis editas 7. tractantes de successore eligendo vivente Romano Pontifice. 8. Inquirentes per Astrologiam judiciariam de Statu Christianæ Reipublicæ, vel de vita, & morte Romani Pontificis pro tempore existentis. 9. violantes juramentum, quod emittunt Officiales S. Congreg. Rituum circa Sanctorum Canonizationem. 10. Revelantes secretum S. Rotæ contra formam Bullæ Urban. VIII. 11. Neminem ab Homine nominatim excommunicatum, interdictum, vel suspensum, vel pro tali declaratum, vel denunciatum absolvere possunt. Extra Italiam verò, & Romæ possunt absolvere à ceteris censuris Papæ reservatis, etiam ab illis sex in Decreto Clementis VIII. edito anno 1602. contentis; nempe 1. à violatione immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ in casu occulto tantum. 2. à violatione clausuræ Monialium similiter in casu occulto. 3. à Duello. 4. à percussio
ne

ne Clerici. 5. à Simonia reali scienter contracta. 6. à Confidentia beneficiali; à quibus sex ultimis extra Urbem, & in Italia absolvere nullatenus possunt, ab aliis autem Casibus Papæ reservatis, supradictis omnibus exceptis, possunt absolvere, nisi aliud obtet.

514. Quæritur. Quid intelligatur per violationem immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum aliàs nonnulli?*

Resp. Intelligitur, quod ab Ecclesiis, ac locis Sacris, & Religiosis vi, fraude, aut dolo, ac indemnitate promissione extrahantur rei ad ipsa confugientes, ut in eis sacro fruantur asylo, & contra Judices, ac Curia Ministros securitate gaudeant; Constitutio verò prædicta quosdam excipit, eisque immunitas non suffragatur, cujus generis sunt. 1. Publici Latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. 2. Depopulatores agrorum. 3. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur. 4. Qui proditoriè proximum suum occiderit. 5. Assassini. 6. Hæresis rei. 7. Et rei læsæ Majestatis in personam Principis; quibus licet immunitas non suffragetur, est nihilominus Judicibus Laicis interdictum ex eis aliquem à præfatis locis sine expressa licentia Episcopi extrahere, ut expressè Constitutio, quæ ipsos Episcopos Judices constituit ad videndum, an crimen à reo confugiente patratum sit qualificatum, & de exceptis. Contrafacientes mortaliter peccant, & ipso facto excommunicatione ligantur propter offe-
M fam

sum locis Sacris, & Religiosis irrogatam, cum debito restituendi extractos iisdem locis in individuo, è quibus fuerint abducti.

515. Quæritur. Quid intelligatur nomine Clausuræ Monialium, & ad malum finem violatæ?

Resp. Per Clausuram venit illud spatium, quod intra ianua[m] Monasterii semper clausam continetur, ut claustrum, domus, hortus, & officinæ interiores: *Cap. exiit de verb. signif. in 6.* ad quæ est cuilibet ingressus interdictus, & extra quæ Moniales non possunt egredi, quin leges Clausuræ transgrediantur juxta Constit. Gregorii XIII. incip. *Deo Sacris*; ad malum autem finem violatur, cum quis ea loca ad effectum Venereum ingreditur; sed etiam non ad hunc finem ingredienti[es] excommunicatione ligantur, quæ tamen à S. Pœnitentiaria, vel à Privilegiatis absolvi potest, etiam extra Urbem.

516. Quæritur. Quid intelligatur nomine injicientiũ manus violentas in Clericos?

Resp. Intelligitur quælibet actio externa ipsi[s] Clericis, vel ordini Clericali injuriosa, modo ipsos Clericos, vel ipsorum vestes tangat, etiamsi id contingat sputo, aqua, pulvere, vel simili; hinc puris verbis Clericum injurians non comprehenditur.

517. Quæritur. An nomine Clerici veniant etiam Religiosi, Moniales, & cæteræ Ecclesiasticæ personæ?

Resp. Veniunt omnes Ecclesiasticæ personæ, & 1. Clerici, omnes Sæculares prima Tonsura initiati, etiam Conjugati, si cum una, & Virgine contraxerit, ac habitum, & tonsuram deferant. 2. Monachi, & hinc Religiosi omnes utriusque Sexus. 3. Tertiarii, vel in Communitate viventes, vel

cum

cum Claustralibus habitantes. 4. Tertiariæ Virginalem, aut cælibem vitam simpliciter voventes, tametsi seorsim, aut in propriis domibus, vel consanguineorum, aut affinium suorum habitent, modo ad habitum per Superiores admittantur de licentia Ordinarii &c. 5. Eremitæ, qui sub speciali obedientia Episcopi, vel alterius Prælati ex voto, vel pacto, alicui Ecclesiæ, Eremitorio, vel loco Sacro in communitate, vel separatim deserviunt. 6. Equites S. Joannis Hierosolymitani, super Casibus 3. 5. & 6. reservatis in dicto Decreto Clementis VII. *Vide duellum, & Simonia.*

R E S T I T U T I O.

518. **Q**uæritur. An qui alium movet, aut inducit ad inferendum damnum grave tertio, teneatur ad restitutionem istius damni illati?

Resp. Affirmativè, juxta Decretum Innoc. XI. damnantis propos. 39. & meritò, quia quicumque damnum alteri infert, obligatur jure naturæ ad damnum compensandum, sed movens, aut inducens alium ad damnificandum Petro, reverà damnum infert Petro, cum sit causa moralis damni, ergo ad restitutionem obligatur, quamvis enim movens, aut inducens aliam ad inferendum damnum, non causet illud physicè, nec necessitet alium ad actionem damnificativam, adhuc tamen damnum imputatur illi, non secus ac inferenti.

519. Quæritur. An qui pravo suo exemplo inducit alios ad turbandum, teneatur ad restitutionem?

Resp. Negativè, ratio est, quia tunc me-